



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Vtrum Deus velit ab omnibus fieri ea, quæ præcipit, vel non fieri ea, quæ
prohibet. K. L. M

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

secundum hos tropos diuersæ voluntates Dei dicuntur, quia diuersa sunt illa quæ per tropum voluntas Dei dicuntur.

Vbi voluntas Dei pro præcepto, & consilio accipitur.

I *Matth. 6. b.*

Pro præcepto Dei atque consilio potest accipi *Matth. 12. d.*

voluntas vt ibi, Fiat voluntas tua sicut in celo & in terra. Et alibi. Qui facit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse frater meus, & soror, & mater est. Et contra hanc voluntatem multa fiunt. Vnde August. in lib. de spiritu & litera. Infideles, inquit, contra voluntatem Dei faciunt, cum eius Euangelio non credunt.

Cap. 33. in tom 3.

Ante me-

Quod Deus non vult ab hominibus fieri omnia quæ præcipit, diuina. vel non fieri quæ prohibet.

Et si illa tria dicantur Dei voluntas, ideo quia signa sunt diuinæ voluntatis: non est tamen intelligendum Deum omne illud fieri velle, quod cuiuscunque præcepit, vel non fieri quod prohibuit. Præcepit enim Abraham immolare filium, nec tamen voluit, nec ideo præcepit vt id fieret: sed vt Abraham probaretur fides. Et in Euangelio præcepit seruo, ne cui diceret: ille autem prædicauit vbique, intelligens Deum non ideo prohibuisse, quin vellet opus suum prædicari: sed vt daret formam homini laudem humanam declinandi.

Gen. 22. a.

Marc. 1. d.

De permissione & operatione vbi dicantur Dei voluntas. L

Permissio quoque Dei operatio voluntas Dei appellantur, qualiter accipit Aug. in ench. dicens: *Cap. 95. in fine.*

Nō fit aliquid nisi omnipotens fieri velit: vel si nendo vt fiat, vel ipse faciendo. Nec dubitandum est Deū facere bene, etiam sinendo fieri quæcunque fiunt male: non enim hæc nisi iusto iudicio Dei finit, & pfecto bonū est omne q̄ iustū est. Ecce hic manifestè habem⁹ Dei volūtate appellari ipsi⁹ operationē vel permissionē, cū dicit nō fieri aliquid

Ibid. c. 96.

in princip.

continuo.

nili omnipotens fieri velit, vbi includit & bona & mala omnia quæ sunt. Ideoque apertè distinguit quomodo Deum velle dixerit, ne eadem ratione intelligeretur velle bona & mala, subdens, vel finendo vt fiat, hoc quātū ad mala dicit: vel ipse faciēdo, hoc quantum ad bona. Mala enim finit fieri, sed non facit: bona vero ipse facit. Ideoque dixit eum velle: quia & nolens mala finit, & volens bona operatur: & ob hoc permissio & operatio voluntas Dei dicuntur.

Quinque supra sunt proposita quæ dicuntur secundum tropum, & ideo distinguat Lector vbi que pro quo eorum accipiat voluntas.

Quinque ergo supra posita sunt, quæ dicuntur secundum tropum Dei voluntas: quia signa sunt diuinæ voluntatis, quæ vna est & immutabilis, sc. Dei beneplacitum. Ideoque diligenter distinguat Lector vbi de voluntate Dei scriptura cōmemorat, iuxta quem modum accipi oporteat, vtrum pro beneplacito Dei an pro aliquo signorum eius. Magna enim est adhibenda discretio in cognitione diuinæ voluntatis: quia & beneplacitum Dei est voluntas eius: & signum beneplaciti eius dicitur voluntas eius. Sed beneplacitum eius æternum est, signum vero beneplaciti eius non, & consonat rerum effectibus beneplacitum ipsius, & ipsi effectus rerum ab illo non discordant. Fit enim omne quod beneplacito vult fieri: & omne quod non vult fieri, nequaquam fit. Non ita autem est de signis: quia præcepit Deus multis ea quæ non faciunt, & prohibet quæ non faciunt, & prohibet quæ non cauent, & consulit quæ non implent.